



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1479. usque ad annum 1494

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118340**

§. 27. Ferrum Lanceæ a Bajazethe ad Papam missum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66444](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66444)

Sæcul. XV.  
A. C. 1492.

§. XXVII.

*Ferrum lanceæ a Bajazethe ad Papam  
missum.*

*Raynald.  
sup. n. 15.  
Bosius ib.  
Spond hoc  
an. n. 8.  
Pictorel in  
addit. ad  
Ciacon.*

Hoc anno die vigesima nona Maji Romam ingressus est Bajazethis Turcarum Imperatoris Orator, dono deferens Pontifici ferrum illius lanceæ, qua Christi latus in Cruce apertum est. Illud in Mahometis II. thesauro, in quem capta Constantinopoli sacras reliquias congefserat, asservabatur inclusum in quodam tabernaculo crySTALLINO, quod fulcro innitebatur purissimi auri ornamentis distincto. Acceptum fuit hoc ferrum a summo Pontifice, & universo Clero, qui in publica supplicatione ab Ecclesia S. Mariæ de populo usque ad S. Petrum procedebant. Imo referunt nonnulli, ab ipsomet Pontifice has reliquias fuisse portatas. Burchardus, qui hoc factum recenset, in dubium vocat, an illud ferrum esset Christi vulnere consecratum, cum, inquit ipse, Norimbergæ Cæsar, & Parisiis Galliarum Rex illud asservari contendant, his addit Spondanus, quod ipsemet Bajazethes per Oratorem suum Pontifici significaverit, cuspidem hujus ferri in Francia conservari. Si qua fides Baillet, lanceæ ferrum Constantino- poli usque ad urbis expugnationem per- mansit

*Baillet. fest.  
mobil.*



Sæcul. XV.  
A.C. 1492.

manfit, demum vero a Mahomete II. occupatum, a Bajazethe ejus Filio summo Rhodiorum Magistro dono datum est, ut grato animo rependeret fidelitatis beneficium, qua Zizimum fratrem ejus captum detinebat, inde vero hæc reliquia Anno millesimo quadringentesimo nonagesimo secundo Romam translata est ad Innocentium VIII. Papam, qui summa pompa illam ad Vaticanam Ecclesiam detulit, ubi hodieum asservatur. Ast Bailletus hanc quoque translationem omnino certam esse, non affirmat; subjungit enim, jam tempore, quo sacrum hoc ferrum Constantinopoli colebatur, creditum esse ab Occidentalibus, veram lanceam semper Jerosolymis fuisse venerationi expositam. Præterea S. Ludovicus Anno millesimo ducentesimo quadragesimo primo a Venetis sacram ejusmodi reliquiam redemit, quæ in Franciam delata Parisiis in sacra capella reponebatur, ubi hodieum religiose colitur. Ceterum hoc factum adeo incertum, tamque exigui momenti penitus discutere, supervacaneum esse videtur. (\*)

§. XXXVIII.

(\*) Hanc in rem omnino consulendus est N. Honoratus loc. cit. dissert. V. art. IV. & seqq.